



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 224. Et circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna. v. 46

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

peccatorum immemor, etiam tua in me beneficia non agnoscam & gratiam, sed & iugiter pro ijs gratias tibi referā, ne vincar & accuset à creaturis insensibilibus in die iudicij.

§. 223. *Vsque ad horam nonam. v. 45.*

Eclipsis illa portentosa & tenebræ extenderunt se per totum mundum à sexta apud Hierosolymam horā, vsque ad horam nonam ibidem. hoc est more Latinorum loquendo à meridie usque ad horam tertiam pomeridianam omnino tres horas, vt sicut toti mundo notificaretur non esse Eclipsin naturalem quæ tam diu duraret & quidem in plenilunij tempore accideret, quo Luna non solet solem obscurare, sed ab inuicem longissime distare iuxta naturalem cæli cursum ideo, vt cognosceret mundus tantas tenebras non esse naturales, sed diuinitus factas vel in comminationem vel in maximi prodigij significationem ad tres horas durarunt. vnde S. Dionysius Areopagita Astrologus maximus in Ægypto existens visis his tenebris exclamasse fertur: *aut Deus natura patitur aut mundus subuertetur*, cognoscens scilicet hanc Eclipsin esse præter naturæ cursum Solis & Lunæ.

Domine Deus vera lux, æterna salus, video quod hic extēderis brachia cum Moysē, & ecce tenebræ densissimæ, & tamen manet obduratum cor hominum cum Pharaone, te amat magis tenebras quam lucem, mundanas voluptatis, quam cæli delicias. Emolli obsecro cor meum & illumina vt cognoscat peccata sua & desinat, vt respuat mundi tenebras & te lucem exquirat, ne moriar in tenebris, sed viuam in lumine tuo.

§. 224. *Et circa horam nonam exclamauit Iesus voce magna. v. 46.*

Circa horam nonam, qua Christus, agnus noster paschalis, reddere Deo animam & emori volebat pro redimendis nobis, exclamauit voce magna vt omnes in tenebris audirent & intelligerent vltima quasi testamenti sui verba, quomodo nimirum homo Sanctus ad Spiritum suum Deo reddendum sese debeat disponere, nimirum toto corde & anima refugium sumere ad Deum suum qui se creauit, constanti fide, firma spe, ardenti caritate & pænitentia, hoc est enim loqui cum Deo clamore valido, & voce magna, seruide, attente, serio cum eo agere, quemadmodum Christus hic, & idcirco docuit nos orationem sic inchoare: *Pater noster qui es in cælis*, quo videlicet admoueamur fortiter & serio orare, quia ad patrem quidem loquimur sed tamen existentem in cælis, hoc est ad patrem non naturalem, qualis erat Christi Pater: sed talem, qui ex mera gratia nos adoptauerit, & qui simul etiam esset Deus & iudex noster: quod Ecclesia quoque ad imitationem eius facit dum toties attollit clamorem in suis orationibus dicens:

Domine

Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat, debet vero hic clamor cordis esse potius quam vocis, siquidem *in Dei auribus*, inquit Bernardus, *desiderium vehemens est clamor magnus, & contra, remissa intentio vox submissa*: & August. *Cum oras clama, non voce sed mente*. Hoc clamore orauit Moyses Exod. 14. sine omni voce & auditus est cum è contra populus clamans à Deo non audiretur.

Exaudi igitur Deus orationem meam cum deprecor à timore inimici eripe animam meam, siue voce siue corde orauero, *intende anima mea & libera eam, in omni tribulatione & angustia sua*, sicut exaudisti orationem filij tui, licet indignus ego peccator, non merear tantam gratiam, sed ob peccata potius iram & indignationem, quia tamen conuersus sum ad te per tuam gratiam, noli me despiciere opus manuum tuarum, nullum enim despicias peccatorem quantumuis foetidum, si ad te suspirauerit, si clamore valido, & lacrymabili veniam & misericordiam à te petierit, dixisti enim: *in quacunque hora peccator conuersus egerit pœnitentiam, & ad te suspirauerit omnium iniquitatum eius quas fecerit non recordabor: & si quid patrem petierimus in nomine tuo, Christe, dabit nobis*: Exaudi igitur Deus orationem meam cum deprecor, quia semper in nomine filij tui dilectissimi preces meas effundam, ut viuam.

§. 224. *Dicens: Eli, Eli lamma Sabachthani. hoc est; Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me. v. 46.*

Ad quid clamabat, & dicebar: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Sane si perpendisses quæ præcesserunt, & istis multo plura, non quæreres. desolata erat natura humana & omni destituta solatio in fine vitæ, clamat in angustijs ad Deum patrem, quasi amice quiritando quæ pateretur, & in testimonium veritatis naturæ, & in omnium Christi fidelium exemplum, vt quando ita omni solatio destituimur siue in corpore, siue in anima, non desperarent, sed recursum facerent ad Deum, cum omni fiducia & patientia, continuo deprecantes eum, donec complacere aufferre ab afflictis dolore, scit enim pater noster qui est in cœlis quid nobis conducatur ad salutem, nec sinit nos tentari & affligi super id quod possumus. Habes hic igitur anima desolata spectaculum, habes natatoriam Siloe, in qua te laues, nempe Dei filium dolorosum in Cruce pendentem; tanquam speculum virtutis ob oculos positum; eius verba & doctrinam in auribus veluti organum & tanquam florem, applicatum odorati, & tanquam cibum appositum appetitui, ut videns & tangens qui filio suo ob maiorem eius gloriam & bonum publicum non peperisset pater, non indigneris te proditoris Adæ filium non confestum exaudiri, donec uti ille completis omnibus, quæ ad salutem

V

animarum